



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ex contractu innominato. Do, ut des parag. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

portionatum. Ira Valentia, a aliique, quamvis aliqui negent apud Delugo. *b*

Dico (proportionatum) nam aliquando est majus, aliquando minus pericula propter varias personæ mutuatarie circumstantias, propter longius, vel brevi⁹ tempus, quo Mutuum restitui debet, vel propter quid simile. Ratio autem nostræ sententiæ ducitur ex eo, quod negari nequit, esse pretio æstimabile, & quidem extra ipsum Mutuum, quod Mutuans subeat periculum amittendi suam pecuniam, & quod idem toto anno v. gr. quo durat Mutuum, molestiam passurus sit, quam ei affert timor suam pecuniam amittendi: Hujus autem periculi timorem esse extra Mutuum, patet, quia ab illo separari potest. Nam, si Mutuum dem homini fidelissimo, certoque, ac tuto pignore apud me deposito, quo pacto certitudinem habeam, quod Mutuum non sim amissurus, adhuc constat Mutuum, & tamen nullum odoratur periculum amissionis.

Confirmatur, quia, si tibi locem, vel commodem Equum, vel Domum, probabiliter timens, ne apud te hominem socordem, & dubiæ fidei deteriora illa fiant, vel amittantur, possum aliquid accipere, seu exigere, propter periculum, quod in tui gratiam subeo, ergo & in casu nostro.

3. Hanc vides Primò, quando apud te certum pignus habuisti pro assecuratione tui Mutui, vel fidelissimum fidei jussorem, te non posse, ex hoc capite periculi, aliquid sumere, quia tunc, cum periculum nullum subesse, suppanatur, molestiam non patieris, ergo illius tolerantiam vendere non poteris.

4. Vides Secundò, etiam si deinde suo præfixo tempore totum Mutuum integrè tibi solvatur, posse nihilominus dictum aliquod proportionatum à te exigere, & retineri. Ratio est, quia hoc exigis ratione gravaminis, quod jam certò suscepisti, tolerando per annum illud periculum, & timorem amittendi Mutuum.

5. Objicies. Si ratione periculi, & metus liceret ex Mutuo aliquid accipere, is qui est meruliosior posse plus accipere, quia major molestia, quam is patitur, majorem mercedem meretur: at id videtur fallum, ergo & id unde sequitur.

Respondet. Communiter à Doctoribus negari solet sequela majoris, nam timor, a-

junt, debet niti, aliqua ratione probabili, ita ut quilibet vir prudens, attenta qualitate Mutuatarii, cæterisque adjunctis, probabiliter queat dubitare ejusmodi periculum non recuperandi Mutuum: Quare, si verè non adest, sed adest solum falsa apprehensio Mutuantis, non erit satis ad aliquid exigendum: sicuti in Matrimonio, metus ex falsa apprehensione contractus, non est satis ad ipsum invalidandum, ex *d Sanch.*

6. Dixi, (*Communiter à Doctoribus negari*) nam inclinatur Delugo loco citato, (sed timide relinquens aliorum judicio) posse, etiam tum aliquid accipere, quia, quidquid sit, (ait) in contractu Matrimonii, pro cujus invaliditate potuit ob suas peculiare rationes requiri à Jure metum ex re ipsa, non autem ex falsa apprehensione conceptum, de qua re alibi disputatur; in nostro certè casu, videtur esse satis, hunc metum hominis pusillanimitatis, quia jam in homine adest major molestia animi, quam majori pretio vendere is possit, si autem enim adest in Claudio major molestia ambulandi, quam adfit in homine robusto, licet, ex vitio, & infirmitate procedens quam certè majorem molestiam, si in tui gratiam claudus subeat, poterit aliquid plus exigere, quam exigit is, qui nullam, vel satis minorem molestiam in ambulando sentiret, ita in casu nostro. Hæc ex Delugo.

§. VII.

Lucrum in Mutuo ex Contractu innominato.
Do, ut des.

1. **N**umero tibi centum aureos, ea lege, ut, si ego moriar infra decem annos, tu nihil mihi, vel meis hæredibus reddere obligeris: si autem vixero, reddere tenearis alios centum, atque adeò ducentos aureos, nimirum, decem pro singulis annis præcedentibus: licitus ne est hic Contractus?

2. Respondeo, esse licitum; sed adverto, hunc non esse contractum Mutui.

Quod sit licitus, probatur, quia est par periculum amittendi, & lucrandi, atque adeò est contractus ludi sortis, qui per omnes est licitus.

Quod non sit contractus Mutui, patet; nam præter cæteras rationes, Mutuum debet in omnem eventum restitui, quamvis fortuito.

tuito pereat. Sed in casu de quo loquimur, si ego ante decimum annum moriar, tu potes illos centum sine scrupulo retinere, ergo hic non est contractus Mutui.

3. Potius ergo erit, ut dictum est in titulo, contractus innominatus, Do, ut des. De eo tamen hic agere volui, quia Sylvester, & alique dicunt, hunc contractum esse Usurarium, quia tunc (ajunt) si ego, non moreretur, exigere lucrum ex mutuo. Verum, ut jam dictum est, nec exigere lucrum ex mutuo, quia hoc non est mutuum, nec exigere, injuste, quia ex ludo sortis exigere.

a Silv. V. Usura 3. qu. 36. & 37. Armil. V. Usur. n. 36 & 37. Ang. V. Usura 1. n. 42. & 43.

§. VIII

Exigere in Mutuo id, quod debetur ex Justitia, vel ex Caritate.

1. PRIMò. Debes certò ex Justitia mihi centum: ego tibi mutuo alia centum, sed exigo ex pacto, ut reddas illa centum, quæ mihi alias ex Justitia debes.

Secundò. Debes certò, ex Caritate mederi, vel adjuvare pauperem in extrema necessitate, ego tibi mutuo decem cum pacto, ut medearis, vel adjuves dictum pauperem: licitè hæc exigo?

2. Respondeo ad primum, affirmativè, quia non exigo ex vi Mutui, sed ex vi Justitiæ extra Mutuum. Ad Secundum, negativè, quia non exigo ex vi Mutui, sed ex vi Justitiæ extra Mutuum. Ad Secundum, negativè, quia non exigo ex vi Mutui, sed ex vi Justitiæ extra Mutuum. Antè obligatus fuisset ex Caritate. Sed affirmativè, id est, licitè me gerere, responderet Molina, & meritò, quia, cum adsit obligatio ex Caritate parum addit, qui insuper addit obligationem ex Justitia, unde sic non videtur moraliter superaddi novum gravamen.

b Pet. Navarr. lib. 3. c. 2. n. 351. c. Molin. lib. 4. n. 309.

3. Dictum est autem (debes certò) nam, si dubiè debeas, negativè in utroque casu respondendum est, quia clara est injustitia, velle certò, quòd dubiè tibi debetur.

4. Quid si probabiliter debeas? Respondeo Caramuel affirmativè responderet. At hæc sententia difficillima mihi est creditu; quia sic facis certum debitum, quod erat solum sub probabilitate, & me privas eo jure, quo poteram meam probabilitatem apud Judices uti; quo pacto fortasse vincerem, nihilque tibi essem traditurus. Id quod certè pretio non parvo æstimabile esse, negabit nemo.

d Caram. in Theol. Morali lib. 2. d. 14. casu 4. n. 731.

4. Contra. Ego mutuans v. gr. debeo Equum, vel damnum, quod tibi intuli in fama, honore, rebus tuis, licitè, & justè possim tibi mutuari cum pacto, ut hæc omnino remittas? Id enim, etiam hic, est resolvendum propter connexionem materie.

Respondeo, esse nimis manifestum, non posse, quia peterem plus quam mihi debetur ex Mutuo: remissio enim prædictorum est nimis manifestè pretio æstimabile.

5. Quid de pœna, quam mutuans tibi ob aliquam rationem forte debebit post sententiam Judicis, potestne is licite tibi mutuari pecuniam cum pacto, ut illam pœnam remittas ante dictam sententiam, quando ipse certe nondum obligatur ad illam subeundam?

Respondeo, non posse, & nam licet tunc non sit debita hujusmodi pœna proxime, est tamen remote debita, cum Mutuatarius habeat Jus accusandi mutuantem; quare mutuans peteret lucrum ex mutuo, si peteret remissionem illius, quæ certe remissio non parvi æstimatur apud homines.

6. Quid denique de vindicta, quam mutuans timer, ne Mutuatarius in aliquo forte offensus, sumat de ipso mutuante? potestne mutuans mutuari pecuniam cum pacto, ut Mutuatarius ab illa vindicta desistat?

Respondeo. Ut desistat à vindicta injusta, vel injusto modo intenta, talis esset vindicta, quæ fieri debet auctoritate publica, & ipse Mutuatarius intenderet facere auctoritate privata, poterit licite. Idem dicitur de desistat ab odio. At, ut desistat à vindicta, seu satisfactione justa, & ab illa satisfactione, quam juste potest implorare ab auctoritate publica, non poterit licite. Ratio est, quia ibi peteret, si Mutuatario novum gravamen: hic verò securus. Ita f. Navarr.

7. Hic tamen recolendum est, quod dixi superius de requirente gratitudinem; nam inde colliges, in rigore non esse illicita hæc, quæ in hoc paragrapho dicta sunt, peti, tantum ex gratitudine, & amicitia. An verò possit fieri pactum, ut, dum ego tibi beneficium mutui impendo, tu impendas Beneficium hoc remissionis, quamvis semper ex congruentia; dicam infra. b

§. IX. Lu-

c Ang. V. Usura 1. ex Mal. 307. Luff. 2. 10. d. 1. Salus de Usura de 12.

f Navarr. c. 17. in man. n. 239.

g Supra. c. 12. n. 191. b Molin. lib. 4. n. 309. c Luff. de Usura c. 12. n. 191. d Tole. lib. 3. c. 12. n. 191.